MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80230-9

AUTHOR:

KEIL, HEINRICH

TITLE:

CATONIS DE AGRI CULTURA...

PLACE:

HALAE

DATE:

[1881]

Master Negative #

91-80230-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Keil, Heinrich, 1822-1894.

...Catonis De agri cultura c. VII et VIII cvm adnotationibvs Henrici Keilii. Halae, formis Hendeliis, [1881]

xii p. 30½ cm.

At head of title: Index scholarvm in Vniversitate litteraria Fridericiana Halensi... per aestatem anni MDCCCLXXXI...

48245

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14½x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 9/10/91 INITIALS RK

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXXI

A DIE XX M. APRILIS AD DIEM XV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INSVNT

CATONIS DE AGRI CVLTVRA C. VII ET VIII CVM ADNOTATIONIBVS
HENRICI KEILII

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR

ROBERTVS OLSHAVSEN

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Catonis de agri cultura librum propter praecepta rei rusticae ipso auctoris nomine commendata apud eos qui post eum de iisdem rebus latine scripserunt in magno honore fuisse scimus; nobis non minus propter memoriam institutorum publicorum et vitae privatae, quae cum illis praeceptis coniuncta est, quam propter formam prisci sermonis studio doctorum virorum dignus videtur. sed quoniam librum et antiquo tempore post Catonis mortem vario modo mutatum et postea librariorum et editorum erroribus multis locis corruptum esse constat, cura adhibenda est ut vitia scripturae, quibus edita exemplaria per longum temporis spatium affecta sunt, tollantur et incorrupta antiquitatis memoria, quoad eius fieri potest, restituatur. quam ad rem quae parata sint auxilia quibusque rationibus emendatio verborum dirigenda sit, et in hoc Catonis libro et in Varronis rerum rusticarum libris, quorum similis condicio est, olim demonstravi. nunc, postquam laborem diu intermissum denuo suscepi, non longa disputatione ea quae olim dixi retractabo, quamquam aucto emendationis apparatu, quo tum utebar nondum ab omni parte perfecto, iam certius quam antea fieri poterat de auctoritate scripturae libris manu scriptis proditae iudicari posse video. verum haec omittam et ita potius hac scribendi occasione utar, ut unius loci exemplo quam multa olim in hoc libro ab editoribus corrupta sint ostendam et scriptura ad fidem manu scriptorum librorum revocata emendationem verborum iam olim a me inchoatam, quantum fieri potest, perficiam. eius rei causa elegi ea quae a Catone in capite septimo et octavo de cultura fundi suburbani scripta sunt. qui locus quamvis in eo genere versetur, quod natura rerum traditarum maiorem gravitatem non habeat, tamen et propter singularem antiquissimarum editionum discrepantiam et propter memoriam veterum scriptorum, qui Catonis praecepta in suos libros receperunt, ad illud quod dixi demonstrandum in primis accommodatus est.

Sed priusquam ad rem propositam accedam, de libris manu scriptis et olim impressis, quorum in ea re mentio facienda est, pauca videntur dicenda esse: nam uberius ea quae huc

pertinent olim exposui. primum igitur Catonis liber de re rustica una cum reliquis latinorum scriptorum de re rustica libris a Georgio Merula editus est Venetiis a. 1472. in qua editione scriptura libri manu scripti, quo editor usus erat, non solum parum accurate expressa, verum etiam plurimis locis arbitrio editoris temere mutata est. nam quaecumque in illa inveniuntur a lectionibus codicum quibus nunc utimur diversa, non ex libro manu scripto, quem meliorem quam quibus nunc utimur Merula non habebat, ducta sed coniectura editoris novata sunt. primus hoc paucis annis post animadvertit Angelus Politianus, qui cum in Florentina S. Marci bibliotheca vetustissimum Catonis et Varronis codicem invenisset, hunc cum principe editione contulit et omnem scripturae discrepantiam in marginibus editionis accurate adnotavit. neque tamen ii qui postea hos libros ediderunt illud exemplum imitati sunt, sed interpolatam principis editionis lectionem repetiverunt. inter hos ingenio et doctrina eminebat Iucundus Veronensis, qui a. 1514 Aldinam editionem scriptorum rei rusticae curavit. is enim quamquam ipse quoque, sicut reliqui editores, a principe editione tamquam fundamento lectionis profectus est, tamen non solum manu scriptos libros adhibuit, ex quibus multa quae in illa neglegenter expressa erant correxit, sed etiam sua coniectura usus plurima mutavit. Aldinam editionem deinde omnes editores expresserunt usque ad Petrum Victorium, qui a. 1541 Catonis et Varronis de re rustica libros edidit iisque et reliquos de re rustica scriptores latinos et explicationes suarum in Catonem Varronem Columellam castigationum insequenti anno editas adiunxit et primus omnium pro temerariis priorum editorum interpolationibus genuinam scripturam plurimis locis restituit. nam praeter alios codices ex Florentinis bibliothecis depromptos Victorius ad Catonis et Varronis libros emendandos ipsum vetustissimum codicem Marcianum, quo ante eum Politianus usus erat, adhibuit et ad huius potissimum fidem novam recensionem horum librorum exegit. quamquam ne ille quidem ea cura et religione qua opus erat veterem codicem expressit, sed, cum Aldinam editionem vel aliquam earum quae ex illa expressae erant ad parandam novam editionem adhibuisset, multa quae temere in illa novata erant reliquit. codex autem quo usus erat non solum bonitate et antiquitate, ut ipsi videbatur, reliquos superabat, sed potius unus omnium, quibus Catonis et Varronis libri memoriae proditi sunt, fons habendus erat. nam quicumque nunc supersunt horum librorum codices manu scripti, quorum longe maxima pars quinto decimo saeculo in Italia scripta est, pauci antiquiorem aetatem prae se ferunt, ita et inter se et cum lectionibus a Politiano ex Marciano codice excerptis consentiunt, ut omnino dubitari nequeat quin ex hoc uno omnes ducti sint. itaque cum laudabili Victorii studio debeatur, quod post eius editionem Catonis et Varronis libri iam multo emendatiores leguntur quam ferebantur antea, tamen multa etiam nunc relicta sunt, in quibus vetus scriptura prava Italorum interpolatione corrupta necdum a Victorio emendata erat. nam qui post eum in his libris emendandis operam collocaverunt illius recensionem communi omnium consensu probatam repetiverunt, quaedam apte emendaverunt, fidem tamen et auctoritatem librorum, a quibus genuina lectio petenda esset, parum perspexerunt atque etiam admiratione quadam vetustissimarum editionum, quarum nulla auctoritas est, capti saepe pro genuinis lectionibus a Victorio ex Marciano codice receptis inventa Italorum amplexi sunt.

Ex his quae dixi facile apparet, quibus rationibus ad constituendam lectionem in Catonis libro utendum sit. nimirum vetere codice, quo solo Catonis et Varronis libri memoriae pro-

diti erant, amisso (neque enim quisquam post Victorii aetatem librum vidit), sequitur ut ex Politiani excerptis et ex apographis, quae quidem incorruptam archetypi scripturam repraesentant, illius lectiones recuperentur. quamvis diligenter enim Politianus rem egerit, tamen dubitari nequit quin quaedam quae aliter in codice scripta erant, atque in principe editione legebantur, vel errore ductus non adnotaverit vel, quia operae pretium non videbatur, praeterierit vel parum recte rettulerit. ex apographis autem plurimum tribuo Parisino codici, qui reliquis aliquanto antiquior, sed multis scribendi vitiis depravatus est, et Laurentianis quibusdam et Caesenati codici quinto decimo saeculo Florentiae scriptis.

Nunc primum locum quem supra dixi sic, ut a Victorio editus est, describam. deinde scripturam archetypi et discrepantiam veterum exemplarium in ipsis verbis tractandis indicabo.

De fundo suburbano.

Fundum suburbanum arbustum maxime conuenit habere, et ligna et uirgae uenire possunt, et domino erit, qui utatur. In eodem fundo suum quidquid conseri oportet, arbustoque uitem copulari. Aminneum minusculum, et maiusculum, et apicium. Haec in ollis, ollae in uinaceis conduntur eadem in sapa: in musto, in lora recte conduntur, quas suspendas duracinas, aminneas maiores, et scantianas opportunissimas esse, uel ad fabrum ferrarium pro passis eae recte seruantur. Poma mala struthea, cotonea, scantiana, quiriniana, item alia conditiua mala mustea, et punica, eo lotium suillum, aut stercus ad radicem addere oportet, uti stabilia mala fiant. Pira uolema, aniciana, et sementiua. Haec conditiua in sapa bona erunt, tarentina, mustea, et cucurbitina. Item alia genera quam plurima serito, aut inserito, oleas orchites, posias, eae optimae conduntur, uel uirides in muria, uel in lentisco contusae. Orchites ubi nigrae erunt, et siccae, sale confricato dies V. postea salem excutito, in solem ponito biduum, uel sine sale in defrutum condito. Sorba in sapa condere, uel siccare arida facias. item pira eodem modo facias.

Ficos quo loco seras.

Ficos Mariscas in loco cretoso et aperto serito, africanas, et herculanas, saguntinas, hibernas, telanas, atras pediculo longo, eas in loco crasso, aut stercorato serito. Pratum si irriguum habebis, foenum non deficiet. si non erit, siccum ne foenum desiet summittito. Sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus, bulbos megaricos, myrtum coniugulum, et album, et nigrum, laurum delphicam, et cypricam, et siluaticam, nuces caluas, auellanas, praenestinas, et Graecas, haec facito uti serantur. fundum urbanum, et qui eum fundum solum habebit, ita paret, itaque conserat, uti quam sollertissimum habeat.

Inscriptiones capitulorum, quibus nunc distinctum legimus Catonis librum, in archetypo et ante ipsum librum additis numeris capitulorum scriptae et suis locis interpositae erant. eas paucis locis exceptis*) ex manu scripto codice repetivit Victorius: nam in principe

*) Duobus locis distinctionem capitis cum rubrica principem editionem secutus omisit, c. 13 *in cellam*, ubi additus erat titulus *In cella olearia quae opus sunt*, et c. 38 *si ligna*, ubi praescriptum erat *Si ligna et virgas non poteris vendere.* uno loco c. 37 *quae segetem stercorant* tituli loco posuit.

editione plurima in his mutata erant. sed pravo studio ab eo qui primus librum ita distinxerat, praecepta Catonis interpositis rubricis separata esse cum aliis exemplis permultis tum hoc loco male distinctis duobus capitulis intellegitur. nam de uno fundo suburbano omnia praecipi apparet, cum ea quae antea de agro conserendo scripta sunt non minus quam quae sequuntur de salictis et de pratis ad omne genus praedii pertineant. in eius fundi igitur cultura cum ponantur arbustum, vites, poma, oleae, fici, prata, hortus, ea pars quae est de ficis cum iis quae deinceps sequuntur non recte interposita rubrica a reliquis separatur.

In ipsis Catonis verbis Merula scripserat *fundo suburbano,* quod auctore Pontedera in antiquitatum latinarum graecarumque enarrationibus Patavii a. 1740 editis p. 32 recepit Schneiderus, ut esset *in fundo suburbano,* quod ipsum in rubrica codicis Parisini, de quo falsa rettulit Schneiderus, scriptum est, quamquam in indice rubricarum *de fundo* habet, sicut reliqui. *fundum suburbanum arbustum* defendit Schneiderus in Colum. III 13, 6 *ac primum ut omnem sive arbustum sive silvestrem locum vineis destinaverimus, omnis frutex atque arbor erui et summoveri debet.* coll. Plin. n. h. X 77 *arbusto agro,* XVII 207 *arbusta vite.* Catonis sermoni potius consentaneum est *in fundum suburbanum* omisso infinitivo *habere.*

Deinde in principe editione leguntur haec, *et ligna et uirgae salictum uti uenire possint: et domino fiat qui utatur,* pro quibus Aldus edidit *uti ligna, et uirgae salicti uenire possint, et domino fiat, qui utatur:* codicis scripturam restituit Victorius. sed gravius corrupta sunt ea quae sequuntur, quae in codice ita scripta fuisse testatur Politianus, quocum apographa consentiunt, *in eodem fundo suum quidquid conseri oportet uitem copularia aminneum minusculum uino et malus et apicium Eae in olla in uinaces conduntur eadem in sapa in musto in lora recte conduntur quas suspendas duracinas aminneas maiores vel ad fabrum ferrarium pro passis ea recte seruantur.* praeterea ad v. *lora* Politianus adnotavit in marginibus codicis adscriptum fuisse *densa,* cuius vocabuli nullum vestigium in apographis relictum est, sed *in lora* habent duo codices Parisinus et Laurentianus 30, 10, *in orra* Caesenas, *in lorea* Laurentianus 51, 2. in principe editione verba ita mutata sunt, *in eodem fundo suum quicquid conseret: oportet copulari uineam amineum minusculum et malum et apicum. ea in olla uinaceis conduntur: eadem in sapa musto in olla recte conduntur: quae suspendas duratura. aminea maiora utilia ad fabrum ferrarium: pro passis ea recte servantur;* in Aldina autem ita, *in eodem fundo suum quodque fructi genus conseri oportet, arbustoque uitem copulari. amineum minusculum, et maiusculum, et apicium. haec in ollis, ollae in uinaceis conduntur. eadem in sapa, et musto recte conduntur quas suspendas duracinas, amineas maiores, et scantianas, opportunissimas esse, hae et ad fabrum ferrarium, pro passis recte seruantur.* in his primum non recte mutatum est *suum quidquid.* nam et *quidquid* et *quidque,* si fidem habemus libris, dixit Cato in talibus, c. 26 *iubeto suo quidquid loco condi,* c. 48 *suum quidquid* (*quidquit* codex Politiani) *genus talearum serito,* sed c. 68 *in suo quidque loco reponito,* sicut c. 5 *suo quisque loco* et c. 23 *suo cuique dolio.* contra Varro r. r. I 1, 4 *quem ad modum quidque te in colendo oporteat facere,* I 5, 24 *quo quicque tempore in eo fundo fieri conveniat,* ubi non recte ex Politiani excerptis *quidquid*

adnotatum est, I 7, 2 *quae* (*quaeque* libri) *suo quicque loco sunt posita ea minus loci occupant* et similiter I 22, 6 *omnia certo suo quoque loco ad villam esse posita.* ceterum apud Catonem locis supra scriptis *quidquid,* non *quicquid,* quod defendit Lachmannus in Lucr. p. 286, scriptum fuit, sicut c. 57 *uti quidquid operis facient* et c. 24 *quidquid vini defrudabis.*

Deinde non minus propter auctoritatem librorum quam propter sententiam verborum improbandum quod ex Aldina editione in reliquas propagatum est, *arbustoque vitem copulari.* nam neque arbusto vites copulantur, neque de adligandis sed de serendis vitibus et arboribus et de fructibus condendis praecipitur. itaque pro corrupta librorum scriptura *compularia* scribendum esse *conpluria* dixi obss. in Cat. et Varr. p. 48. hac forma enim usum esse Catonem testantur Gellius V 21, 6 et Donatus in Ter. Phorm. IIII 3, 6. eadem forma videtur restituenda esse in iis quae postea de pomis scripta sunt, *item alia genera conpluria serito aut inserito,* ubi quod vulgo legitur *quam plurima* ex Aldina editione receptum est, in libris manu scriptis et olim impressis legitur *quam pluris**): quamquam *conplures* aliis locis in hoc libro a Catone dictum non est, *quam plurimus* saepius c. 9. 58. 64. 129. in his autem, de quibus nunc dicimus, praeterea omissum est v. *genera,* quod haud scio an lateat in eo quod in margine archetypi adscriptum erat *densa.* hoc igitur restituto, quamquam variae paratae sunt emendandi rationes, tamen maxime probabilis videtur haec, *in eodem fundo suum quidquid conseri oportet: vitem, genera conpluria vini, aminneum minusculum et maius et apicium.*

Sequuntur praecepta de uvis condendis, quod genus culturae Columella III 2 in suburbano agro commendavit. Catonis praecepta cum parte eorum quae his subiciuntur de pomis posuit Varro I 58 et cum iis quae antea de vitibus praescripta erant Plinius XIIII 46. ex quibus locis Aldina lectio, quam supra posui, repetita est. utriusque verba, quoniam haud dubie corrupta sunt, eaque corruptela etiam ad ipsum Catonis locum translata est, adscribam. apud Varronem igitur in archetypo scripta erant haec (nam inutilem apographorum discrepantiam omitto), *Cato ait uvam aminneam minusculam et maiorem et apiciam in ollis commodissime condi, eadem in sapa et musto recte: quas suspendas oportunissimas esse duracinas et aminneas scantianas. De pomis conditiua mala struthea cotonea scantiana scandiana orbiculata et quae antea mustea uocabant, nunc melimela appellant, haec omnia in loco arido et frigido supra palea posita seruari recte putant.* Plinii locum ita edidit Silligius, *ergo de vitibus uuisque ita prodidit: 'qui locus vino optumus dicetur esse et ostentus solibus, amineum minusculum et geminum eugenium, helvium minusculum conserito; qui locus crassior aut nebulosior, amineum maius aut murgentinum, apicium lucanum serito. ceterae vites miscellae maxume in quemvis agrum*

---

*) Eodem modo corruptum est quod apud Isidorum orig. XX 3, 8 (Cat. fragm. ed. Iord. p. 64) legitur, ***Cato de innocentia sua 'cum essem in provincia legatus, complures ad praetores et consules vinum honorarium dabant: numquam accepi ne privatus quidem,*** si modo verum est ibi ***quam plures*** in codicibus esse. ***quam plures*** quasi comparativo gradu pro superlativo posito veteres dixisse olim multi crediderunt et parum idoneis exemplis comprobaverunt. unum video esse locum, in quo illud manu scriptorum librorum fide-confirmatum sit, apud Petronium c. 21. Martiani Capellae exempla nuper addidit Woelfflinus latein. u. roman. Comparation p. 70.

conveniunt: in lora recte conduntur. quas suspendas, duracinas, amineas maiores et scantianas opportunissimas esse; vel ad fabrum ferrarium pro passis hae recte servantur'. nec sunt vetustiora de illa re latinae linguae praecepta; tam prope ab origine rerum sumus; amineam proxume dictam Varro scantianam vocat. in nostra aetate pauca exempla consummatae huius artis fuere. uvae aminneae scantianae quae dicuntur apud Varronem nullae sunt. nec magis probari potest quod ex Aldina editione vulgo receptum est, *aminneas et scantianas.* nam mala scantiana nota et a multis commemorata sunt. uvas vel vites scantianas praeter hunc Varronis locum, ex quo illud nomen ad Catonem et Plinium olim translatum est, in tot generibus vini, quorum memoria extat, nemo umquam dixit. quare non puto dubitari posse quin veteri errori tribuendum sit, quod nomen ab hoc loco alienum, cum in margine olim ad ea quae deinde de variis pomorum generibus scripta sunt adscriptum esset, in textum inlatum est, quod genus vitiorum in his Varronis libris frequentissimum est, idemque de eo ipso quod sequitur *de pomis* olim suspicati sunt editores. praeterea *duracinas aminneas,* non *duracinas et aminneas* scribendum esse cum ipsa res tum consensus librorum Catonis et Plinii docet. Varronis igitur verba sunt haec, *quas suspendas opportunissimas esse duracinas aminneas. conditiva mala* etc. iam vero apud Plinium ea quae in Catonis verbis post *aminneas maiores* vulgo addita sunt, *et scantianas opportunissimas esse*, non leguntur in libris manu scriptis, sed ex interpolatis Catonis editionibus petita sunt ab editoribus Plinii, quos pravo iudicio usus Silligius secutus est; rectius iudicaverat Victorius explic. in Cat. c. 7. sed ne ea quidem quae deinde sequuntur, *aminneam proxime dictam Varro scantianam vocat,* quamquam in codicibus Plinii atque in ipso antiquissimo codice rescripto ita scripta sunt, Plinio tribui posse puto. nam non solum prorsus inepte haec verba iis quae de antiquitate praeceptorum rei rusticae apud Romanos narrat interposita sunt, sed ne per se quidem recte dicuntur, quoniam Varro non suam de uvis condendis sententiam, sed praecepta Catonis, quae ipse Plinius modo adscripserat, rettulit. itaque non credo haec a Plinio scripta esse, sed postea adscripta a correctore, qui Varronis verba sic, ut nunc legimus, addito verbo *scantianas* corrupta legebat. memorabile autem hoc exemplum est, ex quo intellegitur, quam vetus in Varronis libro fuerit corruptela, quae antiquo tempore in Plinii codices translata est. redeo ad Catonem, cuius verba remotis interpolationibus in hunc modum restituo, *uvae in olla in vinaceis conduntur: eadem in musto, in lora recte conduntur. quas suspendas duracinas aminneas maiores, vel ad fabrum ferrarium pro passis eae recte servantur.* duae describuntur uvas condendi rationes, altera ut in olla vel in vinaceis vel in sapa, in musto, in lora condantur, altera ut suspendantur vel apud fabrum ferrarium servatae pro passis habeantur. breviora de eadem re praecepta sunt apud Catonem c. 143.

De pomis, quo nomine Cato et mala et pira significavit, Victorius lectionem principis editionis paucis mutatis repetivit; codicum discrepantiam suo loco indicabo. sed in generibus malorum quae dicuntur *quiriniana*, eadem rectius, ut videtur, appellantur *quiriana* a Plinio XV 50, *Cato adicit quiriana et quae tradit in doliis condi scantiana,* et a Cloatio apud Macrobium saturn. III 19, 2. ita enim utroque loco in codicibus legitur. simili errore apud Catonem c. 143 scriptum est *mala scantiniana in doliis.* pro quirianis autem Varro l. c. appellat *scandiana* et *orbiculata,* quamquam editores, qui haec quoque ad

Catonis praecepta revocanda esse putabant, pro scaudianis scripserunt *quiriniana. scaudiana* autem, non *scandiana*, ut est in libris manu scriptis apud Varronem, scripsi Plinium et Macrobium l. c. secutus, qui una cum scantianis hoc genus appellant. a Scaudio (nam ita scriptum est in optimis codicibus) ea nomen duxisse tradit Plinius XV 49; idem scaudiana iterum appellat XV 58, item Columella V 10, 19, ubi *scaidiana* in Sangermanensi codice scriptum est. de cura malorum punicorum in archetypo scripta erant haec, *eo lotium suillum aut stercus ad radicem addere oportet uti fabulim malorum fiant.* Victorius in his quoque scripturam principis editionis retinuit, nisi quod *ad radicem addere* scripsit, cum antea legeretur *ad radicem eorum addere.* de libris manu scriptis autem, quibus usus erat, in explicationibus adnotavit haec, 'hic mendum esse suspicor, nam veteres libri ab excusis dissentiunt: optimus ille, et antiquissimus depravatus est, sic enim in illo est, *uti fabulim malorum.* habet alter non tam bonus, neque tam antiquus, *pabulum malorum*, reliqui recentiores cum vetustissimo faciunt'. quod in altero codice minus bono et antiquo scriptum esse ait, *pabulum malorum,* idem Politianus ex secundo codice quem dicit adnotavit. is autem est Laurentianus 30, 10, in quo *pubulum malorum fiant* legitur. etiamsi autem ex eo codice fides non accedit lectioni a Politiano et Victorio prolatae, tamen non video quidquam probabilius adhuc inventum esse. inepta enim sunt quae coniecerunt Turnebus adv. 25, 19 *ut favulum malorum fiat*, Popma *ut favuli malorum fiant*, Scaliger in Varr. r. r. I 31, 4 *aut fabulium alarum,* vel quod Pontedera antiq. p. 35 sibi persuasit *fabulum* a Catone pro pabulo dictum esse. pabulum malorum quid sit, adscripto Columellae testimonio de cultura malorum punicorum V, 10, 15 docuit Gesnerus. similia de vinea ipse Cato praecepit c. 33. de condendis autem malis, qua de re plura leguntur apud Varronem, nihil hoc loco scripsisse videtur, neque in c. 143 eius rei praecepta inveniuntur praeter unum quod supra posui, *scantiana in doliis.* de piris pauca ex hoc loco receperunt Varro I 59, *contra in sapa condita manere pira aniciana sementiva,* et Plinius XV 56, *praeterea dixit volema Vergilius a Catone sumpta, qui et sementiva et mustea nominat.* sed in Catonis verbis *aniciana sementiva*, sicut in Varronis codicibus legitur, et deinde *mustea cucurbitiva*, quod ipsius Catonis libri praebent, scribendum est. itaque receptis emendationibus quas modo dixi omnia sic scribenda sunt, *poma: mala strutea, cotonea, scantiana, quiriana, item alia conditiva, mala mustea et punica* (*eo lotium suillum aut stercus ad radicem addere oportet, ut inde pabula malorum fiant*), *pira volema, aniciana, sementiva* (*haec conditiva in sapa bona erunt*), *tarentina, mustea, cucurbitiva, item alia genera conpluria serito aut inserito.*

Deinde de oleis sequuntur haec, quae sic ut in archetypo scripta erant adscribam, *oleas orchites posias: eae optime conduntur uel uirides in muria uel in lentisco contusae, uel orcites, ubi nigrae erunt et siccae, sale confriato dies V, postea salem excutito, in sole ponito biduum uel sine sale in defrutum condito.* Catonis praecepta repetivit Varro I 60, *De olivitate oleas esui optime condi scribit Cato, orcites et puseas aridas vel virides in muria vel lentisco contusas. orcites nigras, sale si sint confricatae dies quinque et tum sale excusso biduum si in sole positae fuerint, manere idoneas solere, easdem sine sale in defrutum condi* (*condire* libri) *recte.* pauca cum aliis Catonis de olivis praeceptis coniuncta ex hoc loco recepit Plinius XV 21, *condi olivas*

optime orchites et posias vel virides in muria vel fractas in lentisco. apud Catonem utroque loco in principe editione legitur *orchites*, quod non mutavit Politianus, sed posteriore loco in Parisino codice et in recentioribus apographis plerisque *orcites,* item in omnibus et in excerptis Politiani c. 6 *orcitem* et c. 20 *ex orcite.* apud Varronem quoque utroque loco in archetypo scriptum erat *orcites*, idque Catoni restituendum est. item omissa adspiratione c. 80 *encytum,* c. 82 *spaeritam* et *spaeras*, c. 157, 7 *silpium*, c. 123 *isciacos,* c. 127 *dragmam* vel *dracmam* et quamvis variante scriptura librorum *conca:* c. 13 *concas* habent omnes. c. 14 et 66 *conca* et c. 156, 4 *concas* Parisinus, *concha* et *conchas* editio princeps a Politiano non mutata cum plerisque recentiorum apographorum. contra c. 3, 5 *trochileas,* quamquam c. 12 *trochleas* est in excerptis Politiani et *trocleas* in apographis. deinde sententiam verborum non intellexerunt qui collato Varronis loco *aridae vel virides* scribi voluerunt. neque enim aridis oleis opponuntur virides, sed nigris, h. e. maturis vel maturescentibus; cf. c. 65. 117. itaque apud Varronem potius delendum erat *aridas* vel transponendum post *nigras,* sicut apud Catonem legitur *ubi nigrae erunt et siccae.* tum *vel* ante *orcites* additum in libris manu scriptis non recte omissum est ab editoribus. nam cum quattuor describantur condendi rationes, quarum duae ad utrumque olearum genus pertinent, duae ad orcites solas, apte interpositam esse *vel* particulam apparet. postea *confriato*, non *confricato*, quamvis apud Varronem legatur *confricatae*, consensu librorum confirmatum est. item c. 156, 4 *infriet* scriptum est in omnibus codicibus et c. 79. 84. 95 *infriato* in plurimis, in uno Parisino *infricato*, et apud Varronem I 9, 7 *frietur,* I 57, 1 *adfriet*; contra Cat. c. 18 *fricato,* c. 26 *circumfrices*, c. 87 *refricato,* c. 116. 152 *perfricato* Varr. III 9, 12 *perfricant*, III 16, 21 *perfricanda.* denique *in sole ponito*, non *in solem*, quod ex principe editione receptum est, etiamsi in libris inventum non esset, scribendum erat, cf. c. 88. 105. 112. 113. 116. 151.

Plura perturbata sunt in extremis huius capitis verbis, quae sic scripta esse et Politianus et apographa testantur, *sorua in sapa condere uel siccare arida facias item pira facias.* in principe editione ea in hunc modum corrupta sunt, *Serua in sapa. cum uis condere uel siccare uirida facias*, in Aldina autem interpolata sic, *Sorba in sapa cum uis condire, uel siccare, uiridia facias. item pyra eodem modo facias.* ex Plinii excerptis huc pertinent haec, XV 85 *Cato et sorba condi sapa* (l. *in sapa*) *tradit.* uberiora praecepit Varro I 59, *mala cotonea, struthea in pensilibus iunctis, contra in sapa condita manere pira aniciana, sementiua, sorba quaedam dissecta et in sole macerata, ut pira, et sorba per se, ubicumque sint posita, in arido facile durare.* ipse Cato in officiis vilicae c. 143 haec repetivit, *pira arida, sorba, ficos, uvas passas, sorba in sapa et pira et uvas in doliis et mala struthea.* hoc loco autem haud dubie desiderantur praecepta de arboribus serendis, quibus praecepta de condendis fructibus, sicut in superioribus factum est, addita erant. praeterea quae de sorbis scripta sunt cum pomis coniungi debebant, sicut apud Varronem legimus, nec poterant ab illis interpositis olearum praeceptis seiungi. quare quae quidem nunc relicta sunt, in quibus emendandis frustra operam consumpserunt editores, ita legenda puto, *sorba in sapa condere vel siccare: arida facias, item pira facias.* neque tamen haec sic ab ipso Catone scripta, sed postea mutilata et suo loco mota sunt.

De reliqua parte breviter dicam. de ficis igitur in codicibus scripta sunt haec, *ficos mariscas in loco cretoso et aperto serito, africanas et herculaneas, sacontinas, hibernas, tellanas atras pediculo longo, eas in loco crassiore aut stercorato serito.* quae paucis mutatis exscripsit Plinius XV 72, *Cato de ficis ita memorat, 'ficos mariscas in loco cretoso aut aperto serito, in loco autem crassiore aut stercorato africanas et herculaneas, sacontinas, hibernas, tellanas atras pediculo longo.* nam ibi quoque in codicibus scriptum est *sacontinas,* non *saguntinas,* et *telianas,* hoc est *tellanas.*

De pratis haec fuit lectio veterum exemplarium, qua Victorius in errorem inductus est, *pratum si irriguum habebis, foenum non deficiet. si non, et erit siccum, summittito.* scripturam archetypi, *pratum si inriguum habebis, si non erit siccum, ne faenum desiet, summittito,* restitui obss. in Cat. et Varr. p. 34. Politianus ex codice adnotavit *inrigiuum,* item c. 9 *prata inrigiua* et c. 50 *quae inrigiua non erunt,* sed c. 1 *hortus inriguus* et c. 149 *prato inriguo.* in apographis eius formae vestigium non inveni relictum esse, neque apud Varronem I 7. 9. I 31. 33.

Praecepta de horto instituendo in archetypo ita scripta erant, *sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus, bulbos magaricos, murtum coniugulum et album et nigrum, loream delphicam et cypream et siluaticam, nuces caluas, abellanas, praenestinas, graecas, haec facito uti serantur,* ubi *megaricos* a Merula correctum est; *loream cypream* defendi poterat, sed recte c. 133 in omnibus libris scriptum est *laurum cypriam delphicam.* ex Plinii excerptis huc pertinent XV 90. 122. 127, XVIIII 93, XXI 1.

Ea quae restant ab editoribus ante Victorium a superioribus disiuncta et in initio sequentis capitis posita erant. Aldus pro eo quod in libris manu scriptis et in principe editione legitur, *fundum urbanum*, dederat *fundum suburbanum*; Victorius lectionem codicis archetypi revocavit et defendit in explicationibus ad c. 4 *villam urbanam*, ubi similiter Aldus *villam suburbanam* scripserat. et superiore quidem loco quin recte dicatur villa urbana dubitari nequit, sed fundus urbanus dici non poterat qui antea dictus erat suburbanus, sicut visum est Victorio et editoribus qui eum secuti sunt. itaque quoniam certum est ad eum fundum, de quo antea dictum erat, haec quoque spectare, tenendum est illud quod Aldus restituit, *fundum suburbanum.*

Denique spatio, quod mihi relictum esse video, ita utar, ut duo capita, de quibus dictum est, emendata adscribam. sed in iis quae non erroribus librariorum corrupta, sed olim mutatis Catonis verbis vitiata esse dixi lectionem archetypi retinui.

Fundum suburbanum arbustum maxime covenit habere. et ligna et virgae venire possunt, et domino erit qui utatur, in eodem fundo suum quidquid conseri oportet: vitem, genera conpluria vini, aminneum minusculum et maius et apicium. uvae in olla in vinaceis conduntur: eadem in musto, in lora recte conduntur. quas suspendas duracinas aminneas maiores, vel ad fabrum ferrarium pro passis eae recte servantur. poma: mala strutea, cotonea, scantiana, quiriana, item alia conditiva, mala mustea et punica (eo lotium suillum aut stercus ad radicem addere oportet, ut inde pabula malorum fiant), pira volema, aniciana, sementiva (haec conditiva in sapa bona erunt), tarentina, mustea, cucurbitiva, item alia genera conpluria serito aut inserito. oleas orcites, posias: eae optime conduntur vel virides in muria vel in lentisco contusae, vel

orcites, ubi nigrae erunt et siccae, sale confriato; dies V postea salem excutito, in sole ponito biduum, vel sine sale in defrutum condito. sorba in sapa condere vel siccare: arida facias, item pira facias. ficos mariscas in loco cretoso et aperto serito; africanas et herculaneas, sacontinas, hibernas, tellanas atras pediculo longo, eas in loco crassiore aut stercorato serito. pratum si inrigivum habebis, si non erit siccum, ne faenum desiet, summittito. sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus, bulbos megaricos, murtum coniugulum et album et nigrum, laurum delphicam et cyprium et silvaticam, nuces calvas, abellanas, praenestinas, graecas, haec facito uti serantur. fundum suburbanum et qui eum fundum solum habebit, ita paret itaque conserat, uti quam sollertissimum habeat.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

JUSTUS JACOBI, Dr.

I. Publice *controversiarum dogmaticarum in ecclesia Lutherana exortarum historiam* enarrabit d. Sat. h. XII-I.

II. Privatim *1) historiae ecclesiasticae universalis partem alteram* a Gregorio VII. ad nostra tempora enarrabit sexies p. hebd. h. XI-XII. *2) theologiam symbolicam* (polemicam) exponet quinquies p. hebd. h. XII-I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderabitur.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, Dr.

I. Publice *de Davide Straussio theologo et philosopho* lectiones habebit etiam iis, qui non ad theologica studia incumbunt, accommodatas semel p. hebd. d. Merc. h. VIII-IX.

II. Privatim *Psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderari perget. Praeterea iterum eiusdem sodalibus, qui ad *epigraphicen Semiticam* incumbere cupiunt, inscriptiones interpretandas h. def. proponet.

JULIUS KOESTLIN, Dr., Decanus.

I. Publice *primam Ioannis epistolam* interpretabitur d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim *1) evangelium Ioannis* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI. *2) dogmatices partem priorem*, quae christianam apologeticen et religionis philosophiam continet, quinquies p. hebd. h. VIII-IX tradet.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, Dr.

I. Publice *Pauli alteram ad Corinthios epistolam* exponet d. Merc. h. X-XI.

II. Privatim *1) priorem Pauli ad Corinthios epistolam* quaternis interpretabitur scholis h. X-XI. *2) Vitam Dom. n. Iesu Christi* explicabit quater p. hebd. h. XI-XII.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas N. Testamenti et homileticas* moderabitur.

EDUARDUS RIEHM, Dr.

I. Publice *geographiam Palaestinae* docebit d. Merc. h. III-IV.

II. Privatim *1) archaeologiam hebraicam* tradet quater p. hebd. h. III-IV. *2) librum Iobi* explicabit quinquies p. hebd. h. IV-V.

III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis* exercitationes moderari perget d. Iov. h. VI vespertina.

HERMANNUS HERING, Dr.

I. Publice *Pauli epistolam ad Philippenses* explicabit d. Iov. h. VIII-IX.

II. Privatim *theologiae practicae partem priorem* tradet quinis p. hebd. scholis h. IX-X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes catecheticas* moderabitur.

MARTINUS KAEHLER, Dr.

I. Publice ex instituto Lenziano *Pauli ep. ad Ephesios, quae fertur, epp. ad Colossenses et ad Philemonem datas* interpretabitur adiecta inquisitione historica critica accuratiore d. Lun. Mart. Merc. h. XII-I.

II. Privatim *1) theologiam ethicam* docebit sexies h. VIII-IX. *2) epistolam Pauli ad Galatas scriptam* interpretabitur d. Iov. et Ven. h. XII-I.

b. Professorum extraordinariorum.

GUSTAVUS KRAMER, Dr.
Scholas non habebit

PAULUS TSCHACKERT, Lic. theol. et Dr. phil.
I. Publice *historiam ecclesiasticam aetatis apostolicae* tradet binis horis d. Sat. XI-I.
II. Privatim *1) historiam ecclesiasticam octo priorum saeculorum* enarrabit quinquies p. hebd. h. XI-XII. *2) historiam dogmatum temporis recentioris* docebit quinquies p. hebd. h. VII-VIII.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

CAROLUS WITTE, Dr.
Scholas non habebit.

HERMANNUS FITTING, Dr.
I. Publice *praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum* tradet d. Sat. h. X-XI.
II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* docebit quotidie h. IX-X. *2) processum civilem imperii Germanici* tradet quotidie h. VIII-IX.

ERNESTUS MEIER, Dr.
I. Publice *de constitutione imperii Germanici* d. Sat. h. IX-X disseret.
II. Privatim tractabit *1) ius publicum cum Germanicum tum Borussicum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX-X. *2) ius gentium* d. Merc. et Sat. h. X-XI.

ALFREDUS PERNICE, Dr.
I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris Romani* moderari perget d. Lun. h. IV-VI
II. Privatim *pandectas* praetermisso iure hereditario docebit quotidie h. X-XII.

ADOLPHUS DOCHOW, Dr., Decanus.
I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* moderabitur d. Ven. h. IV-V.
II. Privatim docebit *processum criminalem* d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X-XI.

ALFREDUS BORETIUS, Dr.
I. Publice *ius cambiale* docebit d. Merc. h. XI-XII.
II. Privatim *1) ius commerciorum Germanicum* docebit quinquies p. hebd. h. XI-XII. *2) imperii et iuris Germanici historiam* enarrabit quotidie h. XII-I.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.
I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris civilis practicas* moderabitur d. Merc. h. IV-VI.
II. Privatim *ius Germanicum privatum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VII-VIII.

b. Doctorum privatim docentium.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.
I. Gratis *ius familiarum Borussicum* exponet d. Merc. h. X-XI.
II. Privatim *1) ius Borussicum privatum* excepto iure familiarum docebit quotidie praeter d. Sat. h. XII-I. *2) pandectas cursim* tractabit quinquies p. hebd. h. def.

JOANNES MERKEL, Dr.
I. Gratis *exercitationes exegeticas digestorum* moderabitur h. def.
II. Privatim *1) historiam iuris Romani* quotidie praeter d. Sat. exponet h. XII-I. *2) ius hereditarium Romanum* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII-VIII.

CAROLUS A LILIENTHAL, Dr.
I. Gratis *historiam iuris criminalis* tractabit d. Sat. h. VII-VIII.
II. Privatim *ius criminale* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. IX-X.

ADOLPHUS ARNDT, Dr.
Gratis *ius metallicum* docebit d. Mart. et Ven. h. VIII-IX.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr.
I. Publice *artem formulas medicas concinnandi* tradet d. Merc. et Sat. h. IX-X.
II. Privatim *medicinam forensem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX-X.

THEODORUS WEBER, Dr.
I. Publice *exercitationibus clinicis ambulatoriis* praeerit quotidie h. XII $^1/_2$-I $^1/_2$.
